

hoc ipsum probabile videri debeat ac possit. Pro imperio nihil hic agitur. Sunt porro in Lyrico nostro innumera, quae breuitate et audacia ita impedita et obscurata sunt, vt aenigma tibi soluendum esse credas. Quod in his facere licet, est, vt e variis sententiis, quae subiici possunt, si quam elegeris, *vsu grammatico, sententiarum ordine et nexu, et poetae vsu*, eam firmandam tibi esse intelligas. Nihil enim efficitur, quod alios cogat, vt idem statuunt, si adiecero: *ita sentio, ita statuo*. Quod alios cogere possit, vt idem mecum statuunt, est, si docere potui, cum sermonis ingenio et vsu, cum scriptoris more sentiendi, cogitandi ac scribendi, cumque sententiarum ordine, aut nihil aeque aut hoc potissimum conuenire. Iam autem in omnibus scriptoribus, inprimis quorum pauca restant monimenta ingenii, in quorum censu ipsi scriptores sacri sunt, multoque magis in poetis, maxime lyricis, multa occurrunt, quae quo sensu dicta sint, manifestis ac certis argumentis doceri *nequit*. Quid in his modestia et humanitas iis, qui haec tractant, praecipiat, repetere hoc loco opus non est. Sunt inprimis in Pindaro innumera, aut omissis propositionibus mediis, aut phantasmatis nouis non tota sua specie expressis, aut pluribus seu eiusdem seu diuersi generis coaceruatis, oratione porro concisa, ellipsis durioribus, hyperbatis, figuris, tropis, tum omissis articulis ac praepositionibus, copulae non bene collocata, sunt, inquam, innumera his et aliis modis ita obscurata, vt modo sint explenda ac supplenda ab interprete, modo mente in omnes partes versa eliciendum et assequendum id, quod poetae, dum ista commentabatur, ante oculos et animum versari potue-